



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.  
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

**Contzen, Adam**

**Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI**

vers. 27. & 28.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)











Testamen-  
tum.

altare, &c. Ille vero sumptum sanguinem respergit in populum, ait: Hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum, &c. Ibi verus sanguis testamenti; ergo & hoc poculum est veri sanguinis, non Symbolum duntaxat. Itaque propriissime Matthæus & Marcus vocant sanguinem testamenti. Ex illis igitur planissime loquentibus etiam Lucam & Paulum interpretari oportet: non è contrario. Quamvis illi nihil contrarium habent Matthæo & Marco. Nam calix continens sanguinem, vel calix sanguinis, non est testamentum tropicè, sed verè, proprièque: Testamentum enim est non modo proprie voluntas & dispositio testatoris, sed etiam Scriptura, quæ vstratissima est locutio, inde fraudes, fallationes, suppositiones testamentorum dicimus. Deinde ipsa donatio & hereditas data, testamentum vocatur, nec improprie. Cum autem Christus sit nostra hereditas, & ex pacto nobis natus, nobis datus, simul ipse sit paternæ voluntatis secundum humanitatem certissimum, omni Scriptura honoratius elogium, & firmamentum, propriè dicitur etiam sanguis eius testamentum. Nam cum testamentum novum fieret, non est quicquam scriptum de foedere; Scriptura enim posterior est testamento novo. Quin etiam imperitè sentiunt, verba vnam aliquam rem propriè significantia, aliud non posse proprie designare, cum significationes sint ad libitum. Quis ignorat, quid proprie sit liber, & codex? At quis cum librum Ciceronis, aut Lucii postulat, censetur loqui improprie? Nec tamen corticem arboris, aut caudicem poscit.

Quod porro Basilium citat epist. 101. Definitione 11. qui legerit τὸν τοῦ εὐαγγελίου νόμον, contra tot codicum fidem ex incerta lectione Scripturam emendare hominis est hæretici. Habet quidem ita editio Basiliensis, sed malè fidei est apud eos, qui fidem antiquam retinent. Nam errorem esse in Basiliensi citatione nos multa docent. Primo, Græcæ, Latinæ, Syrac editiones. Secundo, Patrum lectiones. Tertio, eorum qui varias lectiones notant, ut Erasmus alique, consensus. Tertio, Beza qui nullo in libro inuenit, quam vertit, lectionem. Quarto. In ipso loco Lucæ à Basilio citato additum est verbum substantiuum ἐσθί, quod non est in textu Lucæ. Si igitur error irrepsit, ut verbum adderetur, quod non erat, non est mirum verbi casus mutari, o micron scilicet, in ο μέγα. Non igitur corruptum Basili exemplar, omnibus Libris antefecti debet. Si quispiam interroget, quæ verba Christus dixerit: illane quæ apud Matthæum & Marcum? an quæ apud Lucam, an quæ Paulus habet?

Respondeo. Dixisse phrasin Græcā, in sanguine meo, hoc interpretati sunt clariore Græcā Evangelistæ, sanguinis mei, & novi Testamenti. Ita nonnulli. Mihi rectius responderi videtur, si omnia dixisse, plura etiam quam Evangelistæ attulerunt, existimemus. Sic enim res firmior certiorque futura erat. Hoc in aliis etiam nonnullis vsu venit.

## QVÆSTIO II.

An necessaria sit in communione species utraq?

9. 1. **V**trumque, speciem, utrumque Symbolum videntur non modo Lutherani, qui omnibus in canthatis sanguinem diffusum esse contendunt, sed etiam sacramentarii, qui nec corpus, nec sanguinem adesse credunt. Bibite ex eo omnes. Quod Christus id eo dixit, ut ita quisque biberet, quo singulis sufficeret. Ideo & Marcus ait, & Biberunt ex eo omnes. Quocirca nihil est necesse præceptum fingere, quo omnibus, & semper vtriusque speciei necessitas imponatur? Instat Caluinus. [Quo magis detestabilis est sacrilega præaudacia, qui sacrum hoc vinculum rumpere non

Non est v-  
triusque spe-  
ciei lex.

dubitavit. Audimus Filium Dei vitæ plenitudinem, quam suis confert, duobus Symboli pariter testatum esse. Quæ diuinitus coniuncta erant quo iure diuul- lere homini mortali fas fuit? Adde quod consulto vi- detur Dominus præcipere omnibus ut ex calice bi- bant, quo sacrilegium hoc ab Ecclesia sua arceret. De pane simpliciter dixisse legimus, ut acciperent. Cur bi- bere nominatim iubet omnes, & Marcus bibisse om- nes diserte narrat. nisi vtriusque ab impia nouitate cau- rent fideles? Nec tamen severo hoc interdicto de- teritus fuit Papa. quin fixam à Domino legem mu- tare ac violare auderet. Populum enim totum prohib- uerit ab vsu calicis. Atque ut se probaret non sine ratio- ne furere, obtendit satis esse speciem vnam, quia per concomitantiam coniunctus sit sanguis cum carne. Quali vero non eodem pretextu totum sacramentum abolere liceat, quia æque sui participes nos facere Christus possit absque externo adminiculo.]

Respondeo. Calumniosè Papam accusari, none- nim eius imperio, sed partim sponte, partim suorum Episcoporum suasi à calice fideles abstinere cepe- runt. Nam Concilium Constantiense consuetudinem omnium probauit, eos qui tollerent, damnauit. Vltimè primus oppugnavit Petrus Dreidenfis, quod cum es- set sacramentarius, & sola Symbola agnosceret, non credidit sub specie panis sanguinem, nec sub specie vi- ni corpus, cum simul corpus tolleretur, & sanguinem. Quia autem concomitantiam tollunt, Christum esse vnam, & resurrectionem negant. Non esse autem præceptum Papæ etiam apparet ex Concil. Trid. Sess. 21. c. 1. Tantum legè Laicis datam negat, quo teneantur vsuare vtramque speciem. Nec permittit vsum il- lis qui alteram partem damnant, permissura, si deuotio- nis studio, non errore infidelitatis sumant. Vnus fuit Apostolorum tempore Act. 12. & Luc. 24. 30. Chrysost. Homil. 16.

Aliud est sanctificatio, aliud sanctificatum; sanctificatio est quod alterum significat; sanctificatum a. alterum sanctificare non potest, quia vtriusque ipsum sit sanctum, vtpote signans panem tuum, quem manducas, sicut ait Apostolus: sanctificatur per verbum & orationem: sanctificasti eum, non fecisti sanctificationem. Quod autem Sacerdos de manu sua dat, non solum sanctifica- tum est, sed etiam sanctificatio est: quoniam hoc non solum datur quod videtur, sed etiam illud quod intelligitur. De san- ctificato igitur pane, licet & animalibus iactare, & infidelibus dare: quia non sanctificat accipientem. Si autem tales, quod de manu sacerdotis accipitur, quale est, quod in mensa manducatur, omnes de mensa manducarent, & nemo de ma- nu sacerdotis acciperet. Vnde & Dominus in via non solum benedixit panem, sed de manu sua dedit Cleopæ & sociis suis. Et Paulus nauigans, non solum benedixit panem, sed de manu sua porrexit Luca & ceteris discipulis. Quod autem de manu porrigitur, nec animalibus dandum est, nec infidelibus porri- gendum: quia non solum sanctificatum est, sed etiam sanctifi- catio est, & sanctificat accipientem.

Eodem modo Augustinus lib. 3. cap. 25. Oculi co- rum acciderat aliquid, quod ita manere permissum est, vsq. ad fractionem panis, certi mysterij causa, ut in illo alia ostendi- retur effigies; & sic eum non nisi in fractione panis agnoscerent, sicut Luca narrante monstratur. Pro meritis quippe mentiu- rum, quod oportebat Christum mori & resurgere, simile aliquid oculi eorum passi sunt, &c. Non autem incongruenter accipi- mus hoc impedimentum in oculis eorum à Satana factum fuisse, ne agnosceretur Iesus: sed tamen à Christo est facta permissio, vsq. ad sacramentum panis: ut vinitate corporis eius participata remoueri intelligatur impedimentum inimici, ut Christus possit agnosci. Scio diuersam esse eorum locorum expo- sitionem: sed senserunt igitur illi, ut & plerique inter- pretes Eucharistiam tum datam solo panis symbolo. Dionysius Alexandrinus Epistola ad Fabium Antiochenum, ita recenset ut non modo apparcat



folam panem dari folere, fed ægrotis etiã mitti, quod  
negat Caluini. Serapioni enim prefbyter ager  
uit. *Εγὼ τὸ πικιδαιὸν τῆς ἐνχαριστίας ἐπέδωκα*  
*τοῖς ἀνέτοις, καὶ τὸ ἀσθενεῖς κατὰ τὴν ἐξουίαν*  
*ἔδωκα.* Panemculum puero de Eucharistia dedit, iussu, vt  
mille autem vni feris infillaret. Non igitur species vini  
mitteret, nec enim custodiebatur, & nox erat, qua  
non sacrificabatur. Hoc pertinet historia, quam E-  
ngl. 4. c. 3. Metaphrastes de S. Iuda, & Domna, lo-  
cantes Molesin prato Ipirit. c. 79. recenset. Græci  
etiam nuncæ ægros non nisi vnam speciem mittunt,  
Genéb. de ritibus Gregorum. Rutheni quoque laicis  
vnam vnam speciem dare solent. Ioan. Sacramis. c. 18.  
de eoribus Ruthenorum. Textuill. l. 2. ad vxorem c.  
5. Ciprianus sermone de lapsis, Ambr. de funere Sa-  
tyr. fratris. Augult. serm. 252. de tempore. Nolo om-  
nem retro memoriam reuoluere. Hoc vnum satis fu-  
it, si tantissimum, & omnibus Ecclesijs vsitatum cõ-  
siderandem, non lege pontificis inductam, sed ab A-  
postoli vltis temporebus manasse, qua de multorũ  
extant commentarij. Non est igitur pontificis dele-  
ctabilis actus, sed Caluini miseranda phrenesis to-  
tam Ecclesiam damnantis. Lutherus quamuis hyper-  
bolicus, hic tamen modestior fuit. In captiuuit. Baby-  
lon. docet non peccare in Christum, qui vna specie v-  
tatur, cum Christus illa vti non preceperit, sed cuiuslibet v-  
tutus reliquerit. Ad idque: non hoc ago, vt viuiatur vtra-  
que species, quasi necessitate precepti ad hoc cogamur. In iuste  
autem Papam accusat, rapientibus negantem, qui se  
tamen episcop. accepto assentit. Et in declarat. in serm. de  
Eucharistia protestatur, nolle se vtramque dari. Non  
dicit, neque iussu, neque mea intentio est, vt vnus aut aliquos E-  
piscopos, propria auctoritate incipiant alicui vtramque speciem  
porrigere, nisi iusseruerit, aut precipiretur aliquo concilio  
general. Post vero de formula missæ protestatur, se  
minime vtraque specie vsurum, si a concilio statueret-  
ur, aut permitteretur. Eadem de libertate habet in  
affectionibus art. 16. Epist. ad Bohemos. Ad Christia-  
nam mobilitatẽ, Tom. Sermon. Fol. 100. Melancthon  
in locis comm. anno 1525. Argentorati editis. sic & de  
Eucharistia indicio, non peccare, qui scientes libertatis, & cre-  
dunt, alterutra signi parte vtuntur. Postea tamen Me-  
lancthon mutauit, & Caluinistis subuersus, vt multi  
etiam Lutherani. Et Lutherus semper, hic etiam con-  
suetus fuit in leuitate sua.

§. 2. *dictum est omnes bibite, omnes, inquam, edictum*  
*ammi Dei. Respondeo. Placuit dictum: nihil opus*  
*est multa, nemo dictum negat. Merito tamen Chri-*  
*stiani quaerimus, qui omnes illi sint?*

Non omnes omnino homines, non Iudæi, non  
Gentes, non fideles omnes; non infantes, non abste-  
nentes, restitenda est propositio, ne omnes etiam eos  
qui excludendi sunt, comprehendat. Qui igitur om-  
nes: Vos presentes, de quibus Marcus dixit, *Biberunt*  
*omnes omnes*. Qui omnes illi? Quibus dictum est, *bibi-*  
*te omnes*. Omnes imperium accipiunt, omnes parent,  
per intervallo omnes in Christi imperio, & obedi-  
entia discipulorum nominantur. Qui illi omnes?  
Quibus mox dicitur. *Omnes scandalum patiemini in me.*  
Quibus dictum est, *edite omnes Apostoli*, (de Iudæ præ-  
sentia non disputo) Denique dedit discipulis, illis di-  
xit, *omnes*.

Non alio igitur intellectu capi illa verba possunt;  
quam ut dictum sit discipulis, *Bibite omnes*. Quare &  
Syrus interpretes vertit כליהם *cullethim*, vos omnes;  
quod improbe Iunius & Tremellius interpretes Cal-  
viniani dissimularunt. Quod videlicet unico affixo  
Achyllem heretico coram proferri viderent. Quidam re-  
centiori v. Vorstius Tesserad. p. 2. *Speciales calus semper*  
*capimus*, inquit, *in quibus alteram speciem fortasse suffice-*  
*Adami Conzen in Euang. Tom. I.*

re posse, non admodum contentiose negamus. Ita pag. 354. Quod vero ille contendit casus illos esse singulares, & Ecclesiam errasse, p. 352. more hæreticorum facit, qui v. soli sapientiam sibi arrogat, cæteros contempnunt. Veniam tamen dat simplici & minime malitiose ignorantia. Tandem faretur. p. 357. [Olim quidem laudabilis vel saltem excusabilis fuit ilia consuetudo, S. Symbola domum deferendi, vid. instituta, propter consolationem tum æg. ororum, tum captivorum, & id genus aliorum, qui in cœtu adesse non poterant, & tamen communionem suam cum alijs fidelibus restari cupiebant. Sed adversarii tamen hoc non iuvant. tum quia ex Eusebio, Iustino, & alijs aperte constat, vitamque speciem plerumque in vasis domum deferri consuevisse: tum quia panem intinctum s. cum veteres asportabant, vitamque speciem in vno subiecto habere: tum denique casus saltem specialis: rat qui ordinarie agendi rationi præiudicare non potest, 3. Etsi vinum reponi ad longum tempus non solebat, deferri tamen solebat ad adiebentes.]

At profecto fallere nititur, ad absentes vtraque species non mittebatur. Non enim Eusebius l. 6. c. 36. & cap. 2. hoc docet, Et ipse satis hoc confitetur, dum de publica communione Ecclesie agi protestatur, de peregrinis idem iudicat. Verum tamen hic quoque statum questionis euerit. Non negamus interdum ab absentibus etiam vtramque speciem missam, vt ex Iustino colligitur, negamus longinquis, & semper missam. Eusebij historia clara est, puer enim panem accepit, & ipse domi intinxit in aquam aut vinum. Tertullianus de corona militis. l. 1. de orat. *Accipio Domini corpore, & reservato.* &c. Basiliius Epist. ad Cæsariam patritiam, Eremitas Eucharistiam domi seruare solitos. Illud autem in persecutione temporibus necessitate cogi quempiam, non praesente sacerdote aut ministro id est, diacono, communionem, propria manu sumere, nequaquam esse graue, superuacaneum est demonstrare, propterea quod longa consuetudine hoc ipso reum vsu confirmatum est. Omnes enim in eremis solitarios vitam agentes vbi non esset sacerdos, communionem domi seruantes, a se ipsis communicantur. In Alexandria vero & in Aegypto, vnusquisque eorum, qui sunt de populo, vt plurimum habet, communionem in domo sua. In eremo autem non seruabat, vt per multos menses vinum, nec seruari poterat. Sic Prosper part. 4. de puella, cur praeter consuetudinem calix daretur, quod species panis absumere non posset, fauces demone fringente. Constat & ex historia, quā Sozom. l. 8. c. 5. habet. Et in vita Chrysostomi Georgium Alexand. Patriarcham. Propter Nestoriani decreta fuit in Ephesina Synodo vtramque species, Ille sub alterutra totum Christum esse negabat. Leo 1. primus Manichæos vinum detestantes deprehendit, dum vtramque imperaret speciem nam ante libera esset, & eodem modo Gelasius. Intinctio in Hispania prohibita fuit, ob Priscillianistas, qui vinum fel Draconis dicebant. Denique non venit Concilium constantiense, modo Bohemi alios ne damnarent. Imo Martinus Pontifex Romæ post concilium dedit sub vtraque specie.

§. 3. Apostolis dictum est: *Comedite, bibite*, si solis Apostolis, ut ipsi & successores tantum edant, & bibant, non populo; nec ergo sub panis specie debet dari. Si omnibus, etiam Laicis dictum est: *comedite*, eisdem etiam dictum est: *bibite*, Eisdem enim dicitur: *edite bibite*.

Respondet solis Apostolis in illa prima institutio-  
ne dictum esse: comedite omnes, bibite omnes. Nam & o-  
mnes ad manducandum etiam addit canon Ecclesi-  
asticus, & S. Ambr. l. 4. de sacram. c. 5. Et Paschasius l.  
de corpore Christi, c. 15. habet. Nulli igitur Christus  
nisi Apostolis dedit; sic tamen dedit, ut illi populo et-  
iam distribuerent.

529

Vorstius  
excusat  
vnam  
speciem.

Aliquan-  
do utraq;  
species im-  
perata.



Institutio  
& præcep-  
tum dis-  
ferunt.

Deinde utramque speciem institutam à Christo cõcedimus, non vñum vtriusque præceptum. In veteri testamento victima cum vino offerebatur, de victima edendum erat, non de vino bibendum. Itaque illa verba solis Apostolis dicta sunt, nec ad alios pertinent. Neque alios obligant. Præceptum autem in eo quod additur: hoc facite in mei memoriã, collocant. At alij donationem, & permissionem esse aiunt, vñ illud: accipite Spiritum sanctum. Crescite & multiplicabimini. Ita Iren. Chrys. Ambr. Damascenus. Imo potestatem offerendi consecranti datam interpretantur. Chrys. de prodit. Iudæ. Damasc. l. 4. c. 4. Dionys. c. 3. Hierarch. Cyp. l. 2. Ep. 3. At vero Cyrill. l. 12. in Ioan. c. 38. Basiliius reg. 21. c. 3. Mor. ad actionem Apostolorum refert. Vt cunctis vero accipitur. Non est absolute præceptum hoc faciendi, sed faciendi in mortis Dominicæ memoriã. Hoc facite quotiescunque bibetis in meam commemorationem. Itaque non præcipitur omnibus, & singulis vsus vtriusque speciei, sed vt cum sumplerint Eucharistiã mortis dominicæ recordentur. Non est tamen Eucharistia frustra instituta. Nam eo ipso quod instituta est, vt nos Dei beneficio oportet, non tamen pro cuiusque arbitrio. Obseruat Augustinus l. 3. de doctrina Christiana c. 17. Alia ait communiter omnibus præcipi, alia singulis quibusque generibus personarum. ita de hac etiam re dici potest, nam indefinitè præcipitur. Eodem plane modo, possunt arguari aduersarij, de præcepto Noe & filijs dato, si enim illis solis datum est, ad posteros non pertinet; si posteris datum est. Nemo sine vxore, nulla sine marito esse potest. Illam autem generalitatem catechumenorũ, abstemioium, aliorũ exceptio restringit. Quin hoc ipsum. Quod ait accipite, Lutherani sic interpretantur, vt ne minister quidem ipse sibi det, sed ab alio accipiat, sic Calvinus l. 4. instit. c. 17. §. 43. Bibere, ait, præcepti, accipere libertatis. Non igitur per omnia præceptum agnoscit. Anabaptistæ, & Laskiani sessionem virgent, vt præceptam. Apud Augustinum Epist. 118. Aliqui prandium, aut cenam antecedentem. Huiusmodi ab hæc causas præsentis testimonio non magnopere reprobant. Vident enim vsu rei, & institutionem distinguui. Dictum est ergo Apostolis, accipite, edite, bibite, data potestate omnia illa agendi quæ Christus fecit: non tamen semper edite, simul bibite. Poterant aliquando edere, aliquando bibere, aliquando vtrumque facere, cum ipsi conficerent corpus, & sanguinem Domini. Poterant ipsi sibi dare, poterant ab alio datum accipere. Miror sane, cum Christus dixit. Comedite bibite, illos aduersarios Christi, & mandati illius, vt ipsi volunt, interpolatores, de suo addere: Comedite, & eodem tempore bibite, cibum & potum ne separete, hoc enim sacrilegum est. Nihil tale Dominus, sed: Comedite, bibite, & bibite in meam commemorationem. Omnibus edendi, bibendi; fit à Christo potestas, quod omnes concedimus. Non tamen omnibus imperatur, vt esum, & potum semper coniungant: satis est alios edere, alios bibere, aliquando edere, aliquando bibere.

Non est  
præceptum,  
vt omnes  
bibant.

Bucerus  
esse vult.

§. 4. Nec aduersarij doctiores hac in re à nobis magnopere dissentiunt. de Luthero & Philippo antea dixi. Bucerus in refut. Antididagm. Colon. vtraque speciem improbat. Et in actis Ratisp. Ad controuersiam quæ est de vna, aut vtraque specie, tollendã, cum primis conducturum, vt sancta Ecclesia liberam faciat potestatem, sacramentum hoc in vna, vel in vtraque specie sumendi. Ea tamen lege, vt per hoc nulli detur occasio, quem vsum tanto tempore retinuit Ecclesia, temere condemnandi, aut inuicem iudicandi, ipse certe articulum illum approbauit. Brentius in Apologia confess. Wittenb. p. 2. pericopes. [Hic non queritur, num permanente institutione Christi inuolata liceat aliquoties ex personali necessitate in

cena, vel pane tantum, vel vino tantum vti. In hoc enim genere necessitas, vt dicit Iohes. Magistra est, & valet illud dictum. Ne Deus quidem eum necessitate pugnat. Sed queritur: si quis excitatus ordinatione Christi, & consolationis indigentia susceperit cenam Domini sumendam, & reliqua omnia falsa fuerint, num debeat integrum sacramentum Canzura institutionem Christi, an alteram tantum partem iuxta decreta Pontificum sumere. Ac de ijs quidem qui hæcenus communi errore abrepti sunt, & tamen retinuerunt fundamentum pietatis, quod est Christus, supra dictum est: & Deus tempore huius ignorantie dissimulauit. Si quis autem his temporibus, quibus Euangelium Christi diuino beneficio illustratum est, & verus vsus cenæ dominicæ patefactus, alteram tantum partem cenæ dominicæ ab Asceticis sacrificiis, sciens ac volens sumpserit, eum ego iudico non simpliciter peccare, sed Euangelium Christi abnegare, & se ipsum reum constituere non tantum eius iulij sanguinis, quem nostra memoria Pontifices & Sacerdotes propter vsum vtriusque sacramenti effundunt, verum etiam, quia effusus est iam inde à sanguine belusti, vsque ad tempora nostrorum maiorũ. Quare in hoc rerum statu, tanta est necessitas sumendi vtramque partem cenæ, vt si quis integrum sacramentum non potest contingere, saluti conscientie suæ magis consulat, si nullam, quam si alteram tantum partem sumpserit.]

In necessitate vnam speciem permittit, hoc est cum magna causa est, vel utilitas. Nam absoluta necessitas non est. Quis ergo dubitet eum relinquere Ecclesiam de illa necessitate iudicandi. Deinde veterem Ecclesiam annorum 1500, exulat, nunc demum facinus esse pronunciat. Martinus Kemperius etiam dispensationi locum relinquit, sicut & Ericcius. Insuperum est ergo sub vtraque specie hoc loco: in c. Luc. 24. sub vna, vt præter patres eo loco citatos docent. Rupert. Lincoln. Balduinus Cantuar. Gilbertus Abbas, alijque quos allegat Henricus l. 8. c. 16. & multi recentiorum, de quibus illo loco actum est.

Et profecto mira est aduersariorum hallucinatio, cum omnem institutionem includere mandatum edunt. Cum ipsi pedes sibi non lauent, dicente tamen Domino. Et vos debetis alter alterius lauare pedes. Illud mandatum esse, cur non præstant, si institutio sine mandato, quid virgent. Institutionem habere vim præcepti? Vti sacris institutis debemus, sed in modo libertas est, quam potest Ecclesia determinare.

§. 5. Inter omnes absurdissime rationes inuenitur Calviniani, qui præceptum vtriusque speciei esse opinantur, suas enim ipsi vineas cadunt. Nam Comedite, bibite in eorum Ecclesia est, credite, nos autem credimus. Tugurini fol. 17. de orali masticatione contra Testam. Brentij. Manifesta est additio, indignos manducare, & oraliter sumere corpus Christi, quod nunquam Dominus, aut discipuli eius docuerat, corpus enim & sanguis Christi non eduntur ore corporeo. Et Bulling. ad Ministros. Corpus Christi ore non comedi. Calvin. 2. Defens. contra Westphalum. Beza in Creophag. p. 9. asserere corpus Christi manducari ore corporeo, esse nihil aliud quam disputare, & putida sophismata caturire. Idem contra Westphalum. Docet Christum ante Apostolos omnes edisse, ac bibisse cum ipsis eundem cibum ac potum, & quia nemo se ipsum corporaliter edat, ac bibat, sermonem esse figuratum. Sic Clebitius contra Heshulium. Hardenbergius de cena Domini. præp. 10. Zanchius in Miscellan. fol. 231. Rodolph. Gualt. præf. ad Ep. Rom. Simonius contra Checkium. Similerus contra Iacob. Andrea. Aret. serm. 3. de Euchar. negant hæc verba de manducatione accipiendã esse. Cum ergo, Edere corpus, & bibere san-



de sanguinem Domini, non sit edere, & bibere. Aliud aliquid necesse est esse. Id autem esse credere interpretatur, ideo negant incredulos manducare corpus Domini. V. re igitur manducare corpus est ita manducare, ut credendo manduces. Sensus igitur Christi est, iuxta Calvinistas. Edite, bibite, Hoc est credite.

## VERSUS 29.

*Dico autem vobis non bibam amodò de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno patris mei.*

## QVÆSTIO I.

*Quod genimen vitis?*

§. 1. Illa verba etiam etiam opportuna visa sunt Caluinianis. Nam genimen vitis, seu γέννημα appellat volunt, vinum Eucharisticum, ex τὸν Ex hoc. Post verba igitur pronuntiata adhuc erat genimen, seu in Luca est generatio vitis, id est, vinum. Manifestum vinum, nulla igitur transubstantiatio.

Respondeo. Veterum aliquorum esse sententiam. Hoc ipso quod vocat Christus genimen vitis veritatem sanguinis sui comprobare. Christus enim vitis est. Sanguis eius est liquor.

Maldonatus, Franciscus Lucas, alijque non modo negant, de sanguine sermonem esse, verum etiam probant. Ante Eucharistiam verba Christi pronuntiata, quamvis à Matthæo non suo ordine ad finem cœnæ recitentur. Lucas certe in principio cœnæ collocat: & duos esse datos calices ostendit. c. 23. v. 15. 16. 17. 18. 19. Et aut illis, desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar, dico enim vobis quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei, & accepto calice gratias egit, accipite & dividite inter vos. dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat, & accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens. Hoc est corpus meum, &c. similiter & calicem postquam cenavit &c.

Quin optime quadrate Beza ipse testatur, nec de solo vino, sed de pascha loquitur Dominus. Christus quidem post resurrectionem cum illis edit, & bibit, sed non familiari convivio, nec ad corporis sustentationem, sed veritatem carnis probandam. In regno patris novum pascha, novum vinum bibiturus pollicetur, noto regni illius elogio, quo convivio, & hilaritibus comparatur. Vide. Tirelman. Ians. quamvis ad resurrectionem referri malint alij.

## VERSUS 30.

*Et Hymno dicto exierunt in montem Oliueti.*

## QVÆSTIO II.

*Quis Hymnus?*

§. 1. Τὸν υμνον, postquam Hymnum dixissent. Alij conlitteram Iudeis gratiarum actionem, alij proprium à Christo compositum Hymnum, nonnulli aliquem de Psalmis. Verbi gratia, 112. aut alios. Totares ex coniecturis pendet. Hoc documentum dare voluit, post mensam Deo de beneficio gratias agendas esse, tanquam bonorum omnium auctori. Hymnus est, quod vel canitur, vel dicitur in Dei honorem. Tam prola

Adami Canzen in Evang. Tom. II

& soluta oratione, quam ligata. Hinc apud Gentiles etiam hymnorum usus in fœderum deorum cultu. Quare de re videre licet Cœlum I. 7. antiq. c. 5. & l. 5. c. 3. & l. Auctor 11. c. 19. ubi primus Apollini hymnus dictus ab Olone Hymnorum dicitur.

ὡδὴν τ' ἐγένετο πῶτον & ὁλοβοιο πρὸς Φάταρ.  
πρῶτον τ' ἀρχαίων ἑπὶ τὸν τέκτονα τ' αἰδοῖα.

Olen fuit primus Phœbi propheta,

Primumque veteribus verbum concinnavit Canticum.

Cecinerintne, an sine cantu dixerint hymnum mihi incertum est, & in utramque partem rationes parum validæ. ὑμνῶσιν est hymnum recitare, laudare. Syrum quod hoc loco ponitur, שַׁבְּחָהּ schabbehu, significat dñm laudare. Dan. 1. 25. & 4. 3. & 5. 4. Psalm. 62. 4. Eccl. 4. 2. Etiam gloriari, καυχᾶσθαι. 1. Par. 16. 35. καυχᾶσθαι ἐν ταῖς ἀνέσεις σου. & Psalm. 105. 46. ταῖς καυχᾶσθαι ἐν τῇ ἀνέσει σου. gloriari in laude tua. Quæ omnia, & loquentis & canentis esse possunt. In montem Oliueti abeunt, ut passionis Domini offerret, Facile enim alium in locum proficisci licuit.

## VERSUS 31.

*Tunc dicit illis Iesus: Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis.*

## QVÆSTIO I.

*Quomodo scandalum prædicat?*

§. 1. Σκανδαλίζετε ἐν ἐμοί. Scandalum patiemini, in me impingetis: quidam, amittendo fidem, interpretantur, verum rectius de humano timore, quo cum deseruerunt intelligitur. Nam Ioan. 16. 31. Modo creditis? Ecce venit hora, & iam venit, ut dispergami vniquisque in propria, & me solum relinquatis.

Non prædicat infidelitatem, sed fugam, & formidinem. Humano enim timore eum deseruerunt, sicut & Petrus negavit se nosse eum, cum tamen certissime nosset, fidem tenuit, sed infirmitate victus tentationi succubuit. Si tamen existimant eorum aliquis Christum vi pati, nec posse hostium viribus esse superiorem sine dubio fidem amiserunt. Id videtur existimasse D. Augustinus, in 1. Ioan. 16. 31.

Eidem non amiserunt.

Non enim ait, quando comprehensus, tantummodo carne sua carnem eius, verum etiam mente reliquerunt fidem. Ad hoc pertinet quod ait, Modo creditis &c. tanquam diceret, tunc ita turbabimini, ut etiam quod modo creditis, relinquatis. Venerunt enim ad tantam desperationem, & sua pristina fidei ut ita dixerim mortem quantæ apparuit in illo Cleopha, qui post eius resurrectionem cum illo seloqui hesitans, & quid ei contingeret narrans: Nos inquit sperabamus quod ipse fuisset redempturus Israel. Ecce quomodo eum reliquerant, deserendo etiam ipsam fidem, qua in eum ante crediderant.

§. 2. Nec ipsa Prophetæ prædictio aliud indicat, quam desertionem, Zach. 13. c. 7. In Zacharia est. Frangite super pastorem meum, & super virum proximum meum, & dixit Dominus exercituum. Percute pastorem, & dispergentur oves. γρεξ grex. Syrus, oves gregis ipsius. Christus sensum Prophetæ reddidit. Non enim imperio Dei Christus occisus est, si occidentes spectes, sed Prophetia verbis imperatiis exponitur, ut appareat, Deo permittente, id factum esse. Cetera in Zacharia explicanda sunt.

## VERSUS

ΥΥ 2